MORTUUS IN VITA
&
VIVUS IN EADEM MORTE FUISSE
B. STANISLAUS CASIMIRITANUS
Sacerrimi Ordinis S. Augustini Canonicorum Lateranensium
PROFESSUS CANONICUS PRESBYTER
Regni Poloniæ, Academiæ Cracoviensis
Urbisq; Casimiriæ ad Cracoviam
SINGULARIS PATRONUS
& miraculîs CELEBRIS
incidente sacrata sibi Feria
Hospitanti Gravissimorum Virorum Frequentiæ
in Templo Sanctissimo Corpori Domini ex miraculo Augustè fundato
impellente debita veneratione
per
M. Michaëlem Axan AA. LL. & Phiæ Drem & Professorem
PROMULGATUS.

Cracoviæ Annô Domini 1766. Die 3. Maji.
Ex prelo Typographico Seminarii Episcopalis Academico-Diœcesani.

ILLUSTRI & ADMODUM RNDO DOMINO,

D. JOSEPHO SAWICKI,

Ecclesiarum; Parochialîs Neoforensîs PRÆPOSITO, Szaflariensîs atq; Klikofzoviensîs CURATO, DOMINO & MÆCENATI OPTIMO.

Author opellæ S. & P. vovet.

Cùm multùm animô revolvebam & sæpe cogitabam, quo fortunato comparari posset eventu, ut pro Tuæ faventis gratiæ in me venientibus studiis aliquando gratitudinis indicium darem; tum modò bene mihi consului, quatenus ex præsenti dedicatione nomen regratificantis quametsi aliquantulum vendicarem, ad meq; acciperem. Verùm quidem est: quòd nuspiam ego virium mearum robur æquabile esse intelligebam, nec pro multitudine gratiarum me posse satisfacere quandoq; confidebam, sed potiùs in ejusmodi cogitatione non mediocrem hancce semper acerbam molestiam capiebam. Nihilominus dedit Optimus Deus & Maximus, quia cùm Oratoriam laudã Dñi. STANISLAI CASIMIRITANI *provinciam*

suscepi,

ſuſcepi, tunc in animo eximiam voluptatem percepi, atq; in meo pectore lætitia ſat copiosè excrevit. Statim enim, Favor Tuus meam gratitudinem excitavit ad præſensq; obſequium movit, ut videlicet: minutam quamvis hanc operam Nomini honnoriq; Tuo dedicarem. Atq; quòd auſus fuerim dedicare, non immeritò feci. Etenim plurima Tuæ benevolentiæ debeo; & exinde: quia illa per meam ætatem Literis humanioribus in Univerſitate Scientiarum Cracovienſi me accommodare fecit, & hinc: quia eousq; favens & gratioſa exiſtit. Eapropter vellem aliquam Tibi ſufficientem in hac inſinuatione reciprocationem exprimere, ſeu vellem gratitudinem meam intendere ad Te laudandum bîs (quæ de Genere, ſapientia, prudentia, eruditione, pietate, cæterisq; id genus excelſioribus in Te coruſcantibus virtutibus veniunt) encomiîs; verùm ſi id facere conarer, mihi Tuum Favorem; quem magni ſemper facio, violarem atq; exacerbarem. Igitur dicere nihil, potiùs elegero, quàm Tuum Favorem amittere. Attamen patiare me dicentem modicùm. Eximiîs virtutum & probitatum ornamentîs reſplendes adeò: ut quantò altiùs ad præclara quæq; & excelsô Tuô animô digna interruptè aſcendis; tantò longiùs volentes laudibûs Te proſequi conatus relinquantur, & encomiorum veſtigia magis puſilla conficiantur. Hinc itaq; quilibet bonus rerum æſtimator præſentire affatim poteſt, quo & qualî modô celebrari

brari

brari debeas. At bellè ego advertens Tibi Mæcenati Optimo *cum multis aliis virtutibus, etiam mansvetudinem singularem inesse; eatenus Te; Qui omnem humanitatem spiras, velim habere rogatum atq; obsecratum: ut nempe acceptare digneris prona voluntate hanc tenellam ingenii mei portionem, utiq; dici meretur gravis & acceptanda, cùm; quia laudes (etsi pro genii mei ubertate aliquántæ)* Dñi STANISLAI CASMIRITANI *in illa continentur, tum; quia Nomine Tuo condecorata. Pro hac tandem mihi præstita benevolentia, præter ferventem; quo esse debeo erga literarum Amatorē meumq;* Mecænatem Optimum *amoris & observantiæ affe-ctum; meum erit officium per omnem vitæ decursum animum non ingratum ubiq; circumferre, itemq; precari: ut Te* Illustris Domine Mecænas! *Tuasq; prosperitates Optimus Dominus ope* Dñi STANISLAI *preces coram Se reponentis sorte repleat, repletas in bono eventu foveat, plurimos ad annos nexas Te cum transmittat.*

ORATIO.

Quando AA. in annis ſuperioribus amore philadelphico erga Sacerrimā Canonicorū Lateranenſium Religionem, at verò peculiarî modô officioſa devotaq; in Dm̄um STANISLAUM CASIMIRITANUM affecti voluntate Jagelonei Academici, pro perſolvendo cultu Eidem Sanctiſſimo Viro unquam interruptim circa Nonas Majas verba laudationibûs referta ex Cathedra ad frequentiſſimum Auditorum confluxum more & tenore Oratorum multis de cauſis fundere conſveverant; tunc in eiſdem, quà amænitate temporis, quà inita præſenti celebritate compoſitis feriis, cùm ejuſmodi lubens in me acceperim otium, non diſpari fine STANISLAUM aliquanta laudum collectione (quoad minuta genii ſuffecerit copia) proſequi me velle exiſtimetis. Conſveverant inquam pluribus à ſæculis Cracovienſes Academici quotannis hìc pro laudibus STANISLAI verba ſpargere. Etenim præter ſuam voluntatem, hujus loci ſacra Authoritas, venuſtiſſima Auditorum Majeſtas, Diei ſanctæ amænitas, tum, quo magnopere lætandum erat; Dm̄i STANISLAI ingens magnitudo virtutum ſeſe ubiq; laudantium illis concitamento præfuerat. Ego tandem AA. inquantum ſimili paſſu apud me ſancivi nunc perorare, præter id, quòd pariter mentem ſtudioſam advertam contineri in me, inuſitata voluptate perfundor, cùm mihi in eo Templi auguſti

est dicendum loco, qui se, STANISLAI facta bona & opera deprædicanti (si fuerit necesse) reapse oculatum in testem conciliabit. Neq; exhorresco, potiùs velut tripudiantis animi incrementum sentio, quando mihi tanta coram Majestate Virorum sint facienda verba, ubi probè intelligam, me quidquid in præsentiarum dicturum, dicturum coram eis, qui suo amore duce, devotione comite in Sanctissimum Virum, ad hunc convenerunt locum atq; ex seipsis isthanc lectissimam composuerunt coronam. Dei etiam STANISLAO sacræ si mente amplitudinem concepero? hæc in me nullam ad absolvendum susceptum negotium conturbationem movet, cùm veriùs, quemadmodum in se læta est, me parî momentô ea; quam paulò superiùs memini, voluptate quodammodo perfundat, itemq; ut aventer hilaritatem præmeferam, oculis mandare, menti intimare non sinat. Haud ipsæ, de quibus omnino perorandum est STANISLAI virtutes, quòd sint omnes tanquam in unum compendium congestæ, multitudine vix numerandæ, & hinc pro viribus dicentis vix ferendæ, tristem Oratori opinionem, quandam consternationem vel trepidationem pariunt, aut possunt aliquas impingere tricas; siquidē laudatas virtutes cùm intueri ordior, illico odorem earundem quasi myrrhæ haurio svavissimum, ille tandem mentem exhilarat; animi vires suscitat, robur dicendi accommodat, studium ferventius causat, genium divitiorem reddit, ac insuper (quod omni dulcedine gratius) ad ampliùs differendum satìs copiosam quasi rupto aggere impetit manare materiam. Quametsi verò hìc Oratorem esse oporteat bene versatum & quotidianum rebus in magnis, in his nempe rebus, quæ illi uberiorem pro tanti encomio Viri, dicendi afferre valerent & suppeditare affluentiam; ego tamen utpote hospes rerum audebo, imò debebo audere hoc ex loco labiis

biis ulteriorẽ licentiam dare. Etenim bellè recognoſco Viri graviſſimi, qui & qualis ſit, tum Veſtri omnem urbanitatem ſuperantis conſeſſus finis, cùm meæ, quid ante ſe ferat & quomodo ſonet intenſionis ratio. Atq; exinde fateor ingenuè: eſt mihi animô non deſpondendum eſt! ambiente me, de Vobis affatim ſcaturiente humanitatis abundantia, vel ex eo fonte impavidiùs; quòd cùm deducere affectarem, quale STANISLAI in vita negotium fuit? pace Veſtra mea quantaquanta foret, proſperè tamen flueret oratio, ac dicentem procul tædio audiretis. Eſt mihi non verendum! omni gravi in ſparta, mentes langventes fulciente audacia, vel eapropter confidentiùs; nam etſi ſignificarem verbîs STANISLAUM CASIMIRITANUM vixiſſe non ſibi, vixiſſe non vanitati, ſed Divino amori & charitati proximi vixiſſe, Veſtrã nihilominus in attentione veniã aſſequerer. Eſt mihi lætandũ! impulſu ſuprafatorum cogente, vel deniq; idcirco exuberantiùs: utiq; dum contemplari vellem, quodnam calcar STANISLAUM excitabat ad non parcendum curis & laboribus pro integritate conſervanda Matris noſtræ intemeratæ Eccleſiæ Romano-Catholicæ. dum inſuper ſuſpicari attentarem, quàm multùm ſudavit, quàm non fucato ardore, aſt avida & exultanti contentione pronus fuit STANISLAUS ad fundendos acerbos pro dulci legendo Sanctimoniæ fructu ſudores, quàm magnopere anhelabat corporis & animi enervare vires pro Dei gloria & honore, dum inquam talem aut ſimilem ſcopum; ad quem tota præſens diverteretur loquela annotarem, certè favente Veſtra humanitate oratio mea in hoc ornatiſſimo Veſtro congreſſu agitaretur atq; fluitaret pacificè, tum præter dubium animorum auſcultationem neutiquam obſcurè intellectam haberem. Neq; verò, quòd in Veſtra præſentia meus ita ubertim præconceptus ad dicendũm proſiliat fervor; animadvertatis me aliqua ambitione at-

 tenta-

tentatum esse, cùm illam orationem dicam, quam mihi non quidem ut debuit, sed ùt valuit profunda in Sanctissimum Virum veneratio, debita in Vos ornatissimos observantia construxit. Atq; ea sunt animi vires qualesquales illæ, & lingvam excitantia ad dicendum.

Verumenimvero ut illud, quod fidei meæ eum in locum reservatum est accuratiùs exequar, Sacerrimum Lateranensium Canonicorum intensè prospicio Cætum; ita verò prospiciens STANISLAUM CASIMIRITANUM video, at videndo bene exploratum habere possum, ac luculentè legere, qualia Ille & quàm gloriosa conversationis humanæ reliquerat vestigia. Scilicet: est Sol in Cælo, non tamen prodest Cælo, sed nobis hominibus: vixit STANISLAUS in mundo, non tamen vixit mundo, sed Summo Deo divisq; Cælitibus. Sunt pretiosa metalla abscondita in terra, non tamen prosunt terræ, sed suam cervicem pede quatientibus. vixit STANISLAUS positus in corpore, non tamen corpori vixit, sed Cælo in ordine rerum creatarum supremo. Viget persæpe vera probitas contenta inter vibrata se adversùs scelera, non tamen sceleribus viget, sed contraveniens magìs ac magìs splendescit. vixit STANISLAUS tertio duellum expediendo cum hoste, non tamen illius quandoq; spolio vixit, sed suis triumphis vixit. Eapropter vitã suam transmutabat in mortem, mortem pariter conficiebat in vitam. Perindeq; vivum & non vivum inter homines STANISLAUM fuisse mirari non incongruum fuerit. Et cùm STANISLAI vita (ùt ecce innotescit) mors nuncupari, ea tandem mors vita profectò appellari debeat, idcirco meâ intererit, illa Vestris ad coram animis documenta ponere, quæ Dñum STANISLAUM CASIMIRITANUM *mortuum in vita, & vivum in eadem morte fuisse* indicabunt.

Divi-

Divinissime Lateranensis Canonice STANISLAE! quemadmodum vitam tuam mortem, & mortem extitisse, vitam meis Auditoribus spopondi verborum decursu efformare, eatenus coram Omnipotenti, Quem in Sanctis Ejus glorificare & laudare debemus, meam dignare titubantem, ut Te officiosè deprædicet; eloquii tenuitatem sublevare.

Cùm verò AA. jam Vobis omnimodè liqueat, quem ad locum cætera Orationis propendebunt & collimabunt verba, ideo Vestram gravissimam Concionem rogatam esse percupio, ut, inquantum humanissima est; meum infans in dicendo eloquium non reluctanter excipere velit, ac etiam obsecro: benevolam in audiendo polliceatur attentionem; utiq; non tantô temporis intervallô patiar vela orationis resoluta esse, quantô Vobis posset afferri molestia.

Si ea omnia, quibûs STANISLAUS cùm in vita mortuus, tum in morte vivus Vestro æquè gravi ac svavi auditorio ad facietatem delinearetur, documenta cumulare in medium tentarem atq; periclitarer, certè mea quemadmodum gracilis pessundaretur eloquentia, & ità præ magnitudine, seu quòd copia me inopem redderet, aut parùm, aut (quod absit à me) penitus nihil roboris ad retinendam in gratiam laudum STANISLAI expositam materiam differens elaborarem. Etenim quot sunt bona & gloriosa opera STANISLAI, sese totidem documentîs ostendunt. At cùm ea gloriosa opera nimis denso me circumstant agmine, haud inaniter; ni considerem Divinas apud cæptam provinciam hospitari suppetias; periculôsa alea mihi metuenda esset. Quidquid verò sit, nihilominus mox negotium aggrediar, ut Vestram in attentione gratiam proposito fine reficiam. Priùs tamen id, quod ope argumenti referre in medium censui

ſui enucleavero. Et non ſentiatis AA. eapropter id à me fieri, ut Vos, ubi omnis eruditionis incolatus; doceam, verùm; ut me dicentem meamq; opinionem cumulatè animis Veſtris ſubjiciam, tum præſertim, ut cùm videam præter Vos graviſſimos Viros egregiam Juventutem pariter fideli pietate ad hancce amplificandam ſolemnitatem compulſam; illa etiam ſuîs auribûs commodiùs ſonum Orationis excipiat, exceptum luculentiùs animô intelligat. Nempe: meum eſt comprobare, quomodo STANISLAUS CASIMIRITANUS dum fuerit vivus, mortuus extitit: tandem ita mortuus, quomodo vixerit? ſed comprobando mortis inimicæ, non eſt meum excitare quosdam terrores, qui feſtivitatis Viri glorioſi tantam ſerenitatem nubibûs atrîs meſtitiæ ſepelire prenſarent. Quandoquidem in Sanctiſſimo vivente Viro mortem glorioſam & triumphantem dignoſcere, ſi verò talem, utiq; lætam & affabilem oportet ſuſpicari, unde pretium ac evidentia operæ invenietur. Atq talem STANISLAUM ſi nactus fuero, Ille profectò Vobis coram benignè aſſeverantibûs animîs mortuus in vita fuiſſe reputabitur. Reputabitur autem patentiùs, cùm Idem Dñus Vir ceu effigies intenſis anteponetur oculis. Jamq; iſtam effigiem reſpiciamus. Et ita: quæ duæ res, labor & amor ad mortem in vita comparandam plurimùm valent; hîs STANISLAUM majorem in modum emicuiſſe luculenter compertum. Labor; quem alii difficilem arduamq; ad bona facinora viam eſſe appellant, STANISLAO plana, haud aliquando difficilis viſa eſt, amor ad obtinendum virtutis æquè ſplendorem ac varietatem STANISLAUM induxit; quin rerum harum adminiculô in vita mortuus extitiſſe perſpicuè videretur. Equidem: poſitô à parte, quòd STANISLAI Parentes Mathias & vitæ ſocia Hedvigis denos aliquot annos ſterilitatem perpeſſi cùm fuerint inſignes

pietate

pietate pariter, ùt voluntatis ſuæ reſignatione in DEUM, DEUS quemadmodum Optimus & in operibus Maximus, juxta vota ipſorum diſpenſavit, nam illis Filium unicum ſolatium, felici verò Cracovienſi ſæculo immortalem gloriam conceſſit. Parentes itaq; in ſuis deſideriis confirmati atq; inuſitatè recreati præter id, quia omnes conatus eò dirigebant, ut Filius cariſſimus ferme Dexterâ Domini efformatus aliquando ſanctis Ipſius redderetur obſequiis; in nullas alias intentiones conſpirabant. Prætermiſſo inquam hoc, penſitemus intenſô animô Infantem STANISLAUM tunc, quando Illi, numerum infra denarium poſiti anni fervorem cum ſanctimonia ſingulari ad legendam ex literis in Cracia Academia dulcedinem contulerunt. O quàm proſperè literariam navim STANISLAUS labore gubernavit! dum omnes difficultates non ægrô animô ſuſtinens, turbines ac fluctus maximos ita navigantibus frequenter obvenire ſolitos minimè perhorruit. Ille enim ſpiritum & animum ne minimum quidem ad hujusmodi tempeſtates; quæ mundanæ vanitates forent, habuit. Non itaq; reor talem reperiri hominem, ut hiſce vivum STANISLAUM extitiſſe aſſeveret. Perſpectum etiã non memini unde habeo, laborantibus Summũ allaborare Dominũ; atq; ego dicere poſſum & debeo: laboranti STANISLAO ad ſe mortuum in vita efficiendum allaboravit Dominus. Dignum enim admiratione magna illud eſt, cùm tandem STANISLAUS ex infantiæ ſuæ procinctu in illum qui certè lubricus eſt, adoleſcentiæ campum translatus fuerit, tunc in labore STANISLAUM modeſtiâ; quæ animum rebus temporaneis neceſſitat mori; conſtitit circumdatum fuiſſe adeo: ut STANISLAUS ab illa ne ungve quidem (prout vulgaris fert ſententia) quandoq; diſceſſerit, atq; unquam avelli potuerit. Si labor & timor Domi-

ni in

ni in Juventute defiat, planè sibi illa non mortem ad pravitates, sed vitam cum eis & agitationem polliceri debet, STANISLAUS tanto incubuit, quantò à mundanis cupediis avulsus mundo jam incomparabilis, carni inutilis, tertio deniq; vitæ humanæ refragario inflexibilis redderetur. Atq; cùm factum sit profectò AA. STANISLAUM mundo, carni & tertio hosti fortiter restitisse, perindeq; nemini Vestrûm incompertum esse arbitror, quin à mundanis; quæ vasa fragilia ad nostram cautionem vocitantnr, cupediis avulsus fuerit? ut videlicet eo ipso à se Mentium sanctarum perturbatores expediret, profligaret, insuper ut in teneris diebus vitam ad fortunam transitoriam paulò nobiliorem terram annihilare indicaret, ac in senecta ulteriori mortem spiraturum se commonstraret. Et certè: quis dicere audebit? STANISLAUM suffragante labore fuisse contentum in sancta animi modestia timoreq; Domini: de quibus cæteræ virtutes oriuntur; & vanis cum illecebris potuisse conversari, blandimentîsve mundanîs agitari. Ille fortassis affirmabit, qui aut toto orbe notissimarum rerum in ignorantia versatur, aut penitus homo non est. Enimvero: non tantùm in infantia, adolescentia, sed etiam provectiori in ætate si commemoravero quid cum Stanislao factum? quid tandem cum labore amor ad moriendum contulit? reapse stupor augetur, admiratio paritur. Magna omnino vis laboris in STANISLAO fuit, nec pariter minor amoris DEI in vita ad suum interitum. Confert amor Divinus non debere annecti divitiarum; cùm ipsæ laqueus hostilis sint, tenebroso splendori. Confert ille ipse neminem agitandum esse atq; movendum corporis incendiô. Confert deniq; repulsam ad frangendum erebi occursum. Atq; etiam hoc ipsum STANISLAUS amore Divino operatus est.

Et si

Etsi enim mundus fautor acerbus (ùt quandoq; asseritur) & deceptor pollicebatur STANISLAO multam fortunam, pollicebatur honores, pollicebatur ad omnes sui partes sortem, pollicebatur insuper repleta voluptatibûs tempora; attamen quidquid moliebatur ex Stanislao efficere, certè semper inanes solicitudines impendit, cùm illas vanas allectiones ob amorem Divinum Stanislaus sibi non admisit, immo sprevit, abnegavit, repudiavit, renuit. Etsi quando corporalium deliciarum ebulliebant nisus in Stanislaum bellantes; attamen ii semper in cassum abivere. Etenim Stanislaus innixus amori, boni animi imperiô, corporis servitiô utebatur. Etsi circumventio averni intensè affectabat Stanislaum suo regimini subjugare; attamen Stanislaus inutilis sub ejusmodi gubernium factus, sine spiritu ad delicias fuit, omnesq; futuros honores amore Divino abnegavit, divitias sprevit & derisit, unde fine carens justitia perennat; atq; in ingressum Sacerrimæ Lateranensium Canonicorum Religionis conspiravit. O fortunatam! ô natam in gaudiis mortuô in vita Stanislaô Casimiriensem Terram! quæ Cælô datum Juvenem susceperat, hanc prosperam! quæ portaverat, gratam! quæ mortuum in vita Stanislaum foverat. Tandem comparatum est, ut Stanislaus impositus esset sancto loco Congregationi videlicet Cracoviensi prælibatorum Canonicorum, ibiq; pariter, protinus incredibilia amore Divino Stanislaus jam quà Novitius, jam quà Professus, jam quà Verbi Divini Preco, jam quà sacræ Paginæ Lector, jam adextremum quà Conventûs Prior in se indicia mortis exaravit. Enimverò: quemadmodum nihil tam commune hominibus est, quàm spiritus vivis, mare fluitantibus, terra mortuis; ita nihil STANISLAO præ amore Divino tam usitatum fuit, quàm corporis valetudinem ingenti mortificatione extenuâsse, unde sui i-

psius abnegatio; variîs incommodîs suam vivendi indulgentiam labefactâsse, unde vitæ æternæ desiderium; tum ob ingentem eamq; incessantem ad DEUM intensionem extra sui corporis ergastulum existere consvevisse, unde incomparabilis devotio; seu penitus se vivum cohabitationi mundanæ rescidisse, & hoc ipso quasi mortuum, imò verè mortuū in vita constituisse. O sanctos Collegii parietes! ô tecta ipsa beata! sub quibus mortuus mundo & vanitati Stanislaus quievit. Sed etiam: ô tempora bona! quæ Illum in vita ad incolumem damnâstis mortem. ô temporum mores aurô notandos! qui Stanislaum vivum eripuistis mundo, & mortuum propter vitam lubricam, sacro Collegio adscivistis, qui è vita Gloriosum Virum ad mortem transtulistis.

Atq; jam video Vos AA. ea, quæ de morte in vita Stanislai ad Vos refero magni pendere, video vultus singulorum verba mea intuentium tacita quadam admiratione distinctos, & idcirco commotus intensiori ardore ex Viro sancto percontari ausim: Ubi est Stanislae! illa frontis caritas? quæ honorum expectationem nutrivit, mortua. illa naturâ subridentium oculorum lenitas? quam persvasio adspectui opum accommodare cupivit, mortua. ubi est illa gratissima genarum rubedo, ille rubentium labiorum lepos? qui forsitan sperabatur mundo, mortuus. Ubi Tu ipse, seu veriùs, qualis Tu ipse Stanislae? qui decorandæ Familiæ, prætereunti utilitati natalis soli, emolumento amicorum, omnium spei fuisti, mortuus. O AA. quamvis modò mundus impetu etiam repentino me dicentem increparet: quid faris? mortuus in vita Stanislaus fuit? confestim illi responderem: ita est. Mortuus Stanislaus fuit, cùm tua blandimenta neutiquam tantùm non vidit, sed neq; audîrit, neq; gustârit, neq; odoratus fuerit, neq; palpârit. qualem ergo exinde Stanislaum

specta-

ſpectabis? mortuum. Cùm item ſequentes ſciſcitarentur adverſarii: in vita mortuus Stanislaus extitit? extitit. Utiq; ſui corporis formam ignorare & illi pretium ullum non ſcire addere, pugnam ſe adverſùs non ſentire, vanas allectiones non intelligere & non excipere, qualem eſſe præſtat? mortuum. Cùm vel ipſa ſanctis inimica mentibus ſiſteret vanitas & quæreret: quid tu? Stanislaus in vita fuit mortuus? mortuus. Stanislaus ad te fumum inanem in vita mentē non habuit, non ergo vivus ad te fuit. O mortem! mortem Stanislai ſalvam! minimè horrendam! omnibûs ſæculîs prædicandam! totîs animi nervîs expetendam! quæ Illum vanis blandimentis, inanibus illecebrarum ventis nuſpiam ſuccumbere permiſit, at fortiter cavit, ut ſibi in ea vitam depromeret, ſuſcitaret. Satìs fortaſſis AA. de morte in vita Stanislai. Pleni jam Veſtri oculi, plenæ aures, atq; animi quanquam tenuibûs adductîs rationibûs de morte in vita Stanislai pleni. Eapropter hujuſce rei negotium haud cupiam involutum eſſe dubio arbitrari oportet.

Cùm Divina in ſuis ſecretiſſima myſteriis Providentia Chriſti ſvaviſſimîs verbîs: *Surge & feſtina Stanislae! &c:* jam Stanislaum excitaverit; tunc mihi Eundem vivum in morte fuiſſe contemplari oportunum eſſe videtur. modò tantùm AA. animos in Stanislaum extendite, ut quà mortuum in vita, Illum vivum in eadem morte extitiſſe, poſſitis contueri. Atq; erant duo mortuum in vita efficientia Stanislaum Dñum, totidem ſunt, vivum in morte indicantia: Prudentia & Veritas. Illius eſt nomen portare Ducis cæterarum atq; moderatricis virtutum. Hæc ipſa (ùt Philoſopho dicere placuit) architectandi virtutes munia habet. Inſuper (prout Cicero conſideravit) vivendi ars & Magiſtra non immeritò vocatur. Etenim illa reliquîs virtutibûs tanquam adminiſtrîs ad

 glori-

gloriosè operandum utitur, ordinemq; vitæ necessitatem factorum, agendi rationem præscribit, tum gravissimo nomine Sapientia notatur. Et quidem ideo: nam; ùt mentis humanæ oculus undiquaq; lucidissimus est, ita in omni veri & decentis desiderio continetur. Contenta verò nôsse veritatem facit. Quæ quidem veritas Cæli civis est, Dei convictu fruitur, fugiendas res, inter expetendas discernit. Nihil autem illo homine beatius esse potest, apud quem eæ cogitationes versantur, quæ illas duas, Prudentiam nempe & Veritatem spirant. Hoc ita prælibato rogo Vos gravissimos Viros obtestorq; (ùt paulò ante dignati estis) attendite, Stanislaum Casimiritanum in morte ex Prudentia & Veritate vivum intuituri. Atq; effatus sum, ùt memini; Prudentiam nomine ampliori vocari Sapientiam, & Veritatem à Prudentia procedere; eam itaq; ob causam, quæ dicam de vita in morte Stanislai, junctim suppeditata à Prudentia, quæ est Sapientia, & Veritate, advertere erit necessarium. Crevit Stanislaus induta S. Patris Augustini per manus Caspari IV. à fundatione Præpositi, veste, Religiosumq; magna animi cum aviditate consortium amplexatus est, & inibi vitam in morte, vitæ mundanæ ferventiùs anteposuit. Itaq; mortuus vanis ac fluxis pollicitationibus, cæpit vitam sanctitatis vivere & splendescere tanquam lucerna supra candelabrum posita, juxta quam cæteri sese depingerent. Quippe Præpotentis Domini gratia super Stanislaum irradiabat luculenter, mortuum ad vanitates, ùt toties repetii; meritîs in Sacerrima Congregatione vivificans adeò: ut quotquot essent jam institutô vitæ, jam consonantia morum Ipsi persimiles, minimè à calore Illius amicitiæ se se abscondere valerent. Et quemadmodum Viri artis medendi periti amariores succos dulcore saccari temperare solent; ita Stanislaus primarias difficultates ad

bona

bona opera Divinâ Præsentiâ affatim dulcoravit. Hincq; constitutum est; ut ope Præsentiæ Divinæ, sicut solis virtus ad herbas, sic ad merita Stanislai vigores vitam in morte præstantes abundantissimè destillarent. Cùm igitur diem in diem, horam in horam in se Stanislaus majores ac majores insumebat virtutes, resq; Divinæ tantopere cordi Illius adessent, cognovit perquam bene, quomodo spretis & derisîs vanarum illecebrarum successibûs vivere in morte oportebat. Ac ideo optimè sua explebat desideria, cùm se ita vivum in morte Divino repræsentabat Vultui. DEUS itaq; infinitè in omnes bonus, in vitam Stanislai sua ubertim & copiosè auxilia effundebat. Exindeq; & aliò cognosci potest: quòd dum piè Stanislaus vixerit, Domini Præcepta servaverit, & docuerit, nec quidquam (prout mentis humanæ fragilitas patitur) à Veritate & Prudentia defecerit; vivus omnino in morte, non aliàs sectans blandimenta mundana, fuit. Et si quispiam aliqua hìc in parte reperiatur adeò tenuis præsentium ponderator rerum, qui, ùt ita dicam; fremens inquirat: siquidem mortuus in vita Stanislaus fuit, non itaq; in morte vivus esse potuit, aut si fuit vivus, quid ergo fecit? ô vituperandam (si illa ubipiam invenitur) loquelam! Fecit Stanislaus vivens in morte & quidem devotione multum effecit. Cùm Cælum ipsum ad se conduxit in illo Rupellano Templo, quod ad solitum reddi Indigeti suo Cracoviensi Præsuli devotum honorem 6tâ de 8. diebus exemptâ Feriâ vulgò frequentavit. Virgo enim Casta, Plasmatoris Filia, Parens Salvatoris, Sponsa Sanctificatoris, seu Templum Trinitatis, Filium suum, Nostrũ Dominũ in manibus gestans, illîs omni suavitate abundantibûs est allocuta Stanislaum verbîs: *Gaudeo Fili mi Stanislae de insigni ista devotione tua. ideo tibi dico: viriliter age & esto robustus.* Advertendum hìc!

virili-

viriliter age & esto robustus. O Virginis Sanctissimæ dulcem imperativum modum! quis te auscultando in omnem grandiorem apprehensionem virtutum non efferatur? quis non exultet ad gloriosa opera? is reapse, qui minimam quidem pietatis scintillam non habet. At Stanislaus quando ita hujusmodi virtute ardebat, fervor illius, sese ad cæteras accendit virtutes. Accendit pietas Virum devotissimum ad incredibilem abstinentiam, quæ animæ vitæ & convivio est. Cùm semper cibi moderationẽ, & specialiter sacris Quadragesimæ in diebus adeò observâsse visus; ut semel tantùm inter octo ferias modicè aquâ & pane hordeaceo reficeretur. Excitavit in Eo abstinentia misericordiam, quæ non modò vivos, sed etiam reddit beatos, illaq; debita sibi claustralia fercula pauperum non tantùm propria, at quoq; hæreditaria fecit fuisse. Misericordia traxit Illum ad cæteras easq; permultas, quæ vitam in morte sustentabant virtutes, has verò æquîs celebrare laudibûs, Cælum testor! non est tenuitatis meæ, tumq; etsi aliquomodo possem de ipsis discurrere, id tamen, quòd nempe tacere brevi elegerim, temporis necessitati imputandum, brevitatiq; tribuendum est. Etenim infinitus in dicendo essem, si vivum in morte Stanislaum ampliori sermone prosequi attentarem. Adhuc tamen non mirari non possum piissimam Animam Stanislaum, quæ in morte vitæ suæ exemplum omni probitatum genere expressum olim venturæ ætati sequendum reliquit, oleum suarum virtutum non perdidit, opera vitæ in morte, acsi exculptas imagines, sæculis spectanda tradidit. Vixit Stanislaus in morte, quando suam mentem virtutibus reficiebat. Vixit, quando svavitatem in recitando experiebatur psalterio, in Divinis dies noctesq; perardenter versabatur precibus. Vixit, quando ad castigandum & mortificandum corpus suum, in

quan-

quandam (ùt dicam) feritatem atq; crudelitatem convertebatur. Vixit, quando ſcelera tanquam infectiſſimum virus oderat. Age verò de Illius erga proximum fervore, animus id conſiderando ſtupet, gaudia inde concepta vocem impediunt, facultasq; dicendi temperatur, ſeu verbis exprimere non poſſum quanto Vir iſte in proximum amoris ardore ferebatur. Quid eſt? ne juſtum Cælum ſeveram pænam in ſcelera fulminet, Divinam precari Majeſtatem. quid inquam eſt? vivere eſt in morte & proximum ad vitam eripere de morte. Tandem Stanislai Preconis Verbi Divini fervor, quomodo erga proximum eſt progreſſus? en in omnes ſibi adſtantes ſemina jaciebat virtutum, & ne jacta humorum inopiâ facilè areſcerent, fuit Stanislaus in ſuggeſtu concionatorio tanquam Cælum amæniſſimum ſatìs ſuperq; ſatìs Doctrinæ Spiritualis imbribûs pluens. Quodſi homines, ùt terra ſterilis ſuſcipiendis ſeminibus minùs idonei eſſent, ſed tanquam ſilicei vel adamante conflati; illico eos Verbô Divinô ceu gladiô bis acutô paſtinabat, atq; in audientes ſe, hoc frequentiùs eloquebatur monitum: *Tu qui Miſſam audis & à fine recedis, nulla tibi merces datur, quia laus Divini officii in fine probatur.* Teſtes ſunt vitæ in morte Stanislai animæ peccatrices, ſceleribûs marmore velut obductæ, quas Ille ſic inflexit ad Dominum, ut neſciam! quis meliùs poſſet. Teſtes animæ hæreſî ac petrâ duriſſimâ circumdatæ, quas Ille ſic emolliit, ut vera in Deum Fide colliqueſcerent. Idcirco: an non vivum in morte Stanislaum habemus? cùm animas impiorum de laqueo mortis ſua prædicatione omnia ſancta, omnia Divina ſpirante emancipare cupivit. At cupivit Stanislaus animas peccatrices emancipare de morte, tum ſanctas corroborare in gratia ſuæ adjumentô Sapientiæ; quæ Prudentiâ & Veritate quaſi columnis ſuffulta fuit.

Sapien-

Sapientia Stanislai coram Deo Maximo ex tanto prædicationis labore lectam est adepta gloriam. Refulsit illa ùt inter nebulas arcus, & stella inter tenebras. Coruscavit ùt Luna, & resplenduit quasi Sol. Sapientia Stanislai normam dedit Religioni, exemplar Justitiæ, humilitatis ac pietatis se exhibuit, veritatemq; asseruit & fidem munivit. Fuit deniq; Sapientia in Stanislao castitatis cultrix, voluptatis flagellum. O sapientiam humilem an sapientem humilitatem! Sapientiam! omnibûs perfectionum numerìs absolutam! quæ fundamentum gloriæ æternûm coram DEO victuræ construxisti, honestorum morum, virtutum eximiarum summam tum in se; cùm in hominibus in tempore suo collegisti. Verùm; prô Deûm hominumq, fidem! aut (si esse posset) Demosthenicum induendum dicendi acumen, aut Ciceroni invidenda facundia, aut insuper Divina quædam esset mihi modò appetenda eloquentia. Siquidem: cujus oratio enarrare, qui sensus percipere, quæ mens aut cogitatio capere valeat? quàm lætô animô, non trepidanti arreptione valetudini obnoxia Stanislaus perpessus. Non equidem fractus annîs prope sexagenarius, extenuatus sanctîs pro gloria Dei, pro integritate animarum Christi ex Cathedra Ecclesiastica profusîs laboribûs, evisceratus sanitate in nutriendo sacrîs literîs Professos Regulares fidei suæ commissos; non equidem inquam sibi molestiæ habuit plenus dierum Stanislaus, & proximus diem illã beatè interminabilem existens prægrandi fuisse inclinatum morbô adeò: ut æquabilem ad omnes mortificationes, incommoda & casus acerbos animum ostenderet, seu prospera Illi, seu adversa nuntiarentur, difficileq; foret, & omnino extra praxim Stanislaum non alacrem ad ferenda amara deprehendere. Atq; non solùm ipse sibi Stanislaus in adversis reclinari voluit, cùm persæpe junioribus Fra-

tribus;

Fratribus; quibus etiam ægritudine adſtrictis ſponte obſequebatur, vehementer inquiebat; *Fratres chariſſimi oportet nos per multas tribulationes introire in Regnum Cælorum.* O ſanctum introitum! qui per mortem in vita, per vitam in morte, ad vitam ſinè morte apertus Stanislao habebaris. Vivens Stanislaus in morte omnia ſua facta Divinæ Providentiæ committebat, & quocunq; Præpotentis Dei voluntas Illum dirigeret, eò animum confeſtim inclinabat. Inclinavit animum Stanislaus ùt pote in morte vivus ad Voluntatem ſupernam. Chriſtus enim Dominus cum ſua Intemerata Genitrice de Cælo ad ægrum valetudine venit & affatus: *Surge Fili mi Stanislae! hodie me cum eris in Paradiſo.* Surrexit Stanislaus Æterni Patris Filius, & Sacramentîs devotè præmunitus, Fratribus chariſſimis abundanti benedictione relicta, viam pacis arripuit. Quapropter: Stanislaus è vita in morte peracta, cùm ad vitam præter mortem ducendam diſceſſerit; Veſtram eousq; benevolam ne videar exacerbare patientiam, finem orationis appello, at pro laudibus Dñi Viri copioſiùs dicendi provinciam, cæteris poſt me dicturis relinquo.

Sed Sacerrime Lateranenſiũ Canonicorum Ordo! ex Tui Stanislai proficiſcentem laudatione ad Te diverti orationem neceſſe eſt. Hæc quid in laudibus Tuis operetur, neſcit, penitusq; ignorat. Non ignorat meritorum Tuorum ſublimitatem; verùm qua via ſat Te laudandi poſſit in eam venire ignorat. Igitur erit voluiſſe ſatìs atq; ſufficiet id encomiis Tuis, quòd Te exaſſe laudare non quidem mihi exiguo, aſt & multis aliis difficile videatur. Neq; ſuſpicetur aliquis vocem meam blandienti aſſentatione eſſe, quandoquidem qui & qualis de Eccleſia Dei ſpectaris meritîs, illisq; quàm graviter accommoda conſtrui debet oratio, vulgatiſſima ſæculorum teſtifi-

catur fama. Nihil ego possum copiâ fandi gloriæ Vestræ impertiri & dare, quia dedit satìs Sixtus IV. Pontifex Maximus in Vestrum Lateranensem Ordinem mentē suam convertens, Eundē indicando sequentibus: * *Ordo Lateranensium Canonicorum*; qui veteri in testamento mysticè à Levitis inchoatus, à Sancto Joanne Baptista præostensus, in novo testamento à Christo Dño demonstratus, ab Apostolis institutus, tandem à Præsule Hipponensi ordinatus, antiquitate, eruditione, regimine, nobilitate, atq; Sanctorum numerositate perquam ornatus & splendidus. ille inquam Ordo *ab ineunte nascentis Ecclesiæ ætate, sanctæ institutionis ac primorum Christianæ Religionis Clericorum norma, à primæva sui fundatione variis virtutum meritìs semper resplenduit.* Resplenduit Ordo Sacerrimus Vester & eousq; resplendet, cùm Vicariam Christi non ascendit Sedem, qui in Lateranū non descendit. Cùm Apostolicæ Cathedræ Regimini militantis Ecclesiæ Urbanum II. Paschalem II. Honorium II. Innocentium II. Alexandrum III. Innocentium III. Honorium III. permultosq; alios in Summa Capita edidit. Resplendet hæc Vestra Cracoviensis Congregatio & in venturas olim ætates resplendebit, cùm multos sanctos undiquaq; virtute refertos Viros, prout & Casimiritanum Dñum ad protegendam Poloniam, ad suum ornamentum exposuit. Ac ideo fervor animi mei Vobis ita fidentiùs imperare ausit.

Plausus jungite plausibus.
Gaudia superaddite gaudiis.
Seu Plausibûs utimini & gaudiîs.

En STANISLAUS Dñus delicium Vestrum, gloria incomparabilis & æviterna, unio inæstimabilis pretium afferens ad merita Vestra: quæ majoribûs ac majoribûs

* *in sua Bulla, qua incipit:* Dudum ad Universos &c.

ribûs honoris & amplitudinis suæ incrementîs, victurîsq; ad omnem posteritatem laudibûs nunquam desinant coronari. Itemq; AA. quòd me Vestrâ præsentiâ condecorare & tam attente dignati estis audire, hoc meo devinctissimô homagiô abundè satisfactum & cumulatè gratias relatum esse, judicetis exposco. At verò mortuum STANISLAUM in vita contemplati sumus, Eundem vivum in morte fuisse habuimus, itaq; moriendi in vita, vivendi in morte STANISLAUM tanquam imaginem speculemur, convenit. Etenim positum nobis in oculis est; qnia nati sumus ut viveremus, vivimus ut moriamur, morimur ut vivamus. Sed Dñe STANISLAE! hoc tuîs in nobis operare gratiîs, ac insuper universim Regni Poloniæ, quod Te suum est nactum Patronum neutiquam Clientelam terminare sinas, eidemq; ac Matri meæ Academiæ, quæ Te ut viveres lacte sapientiæ nutriverat, tandem suum Professorem Doctoralibûs cohonestavit sertîs, in quavis necessitate protectionem tribue.

Ego verò; Dñe Aulæ Cælestis Incola! ut ad istum amplissimum dicendi pro Tua gloria locum posteri dies illos tantùm modò introducant Oratores, quibus uberior quàm mihi suppetat orationis facultas, atq; laudum Tuarum eminentiam non tenui verborum copia; quod ego feci, sed disertissimîs lingvîs vivacissimè exprimere, sanctissimè prosequi valeant, tum iidem suæ eloquentiæ flumina copiosîs periodîs in laudes Tuas effundant, & quidquid erit elegantiæ, quidquid eximiorum verborum, quidquid decoris ex facundia offerant; omnifariam comprecabor.

D I X I.

PERMISSU

MAGNIFICI & AMPLISSIMI

DOMINI

RECTORIS.